

*primum dyadema regium imponendi, tercio a rege Boemie, qui inter electores laycos ex regie dignitatis fastigio iure et merito obtinet primaciam, quarto a comite palatino Reni, quinto a duce Saxonie, sexto a marchione Brandenburgensi; horum omnium vota premissis iam ordine dictus archiepiscopus Maguntinensis perquiret. Quo facto dicti principes sui consortes ipsum vice versa requirent, ut et ipse intentionem suam exprimat et ipsis aperiat votum suum*⁷¹.

[2] *Quotiens insuper, ut premittitur, sacrum vacare continget imperium, illustris comes palatinus Reni sacri imperii archidapifer ad manus futuri regis Romanorum in partibus Reni et Sævie et in iure Franconico ratione principatus seu comitatus Palatini privilegio esse debet provisor ipsius imperii cum potestate iudicia exercendi, ad beneficia ecclesiastica presentandi, recolligendi redditus et proventus et investiendi de feudis, iuramenta fidelitatis vice et nomine sacri imperii recipiendi, que tamen per regem Romanorum postea electum suo tempore omnia innovari et de novo sibi iuramenta ipsa prestari debebunt, feudis principum dumtaxat exceptis et illis, que vanlehen vulgariter appellantur, quorum investituram et collationem soli imperatori vel regi Romanorum specialiter reservamus. Ipse tamen comes palatinus omne genus alienationis seu obligationis rerum imperialium huiusmodi provisionis tempore expresse sibi noverit interdictum.*

C] Edikt Nr. 12. Die Wahl des Römischen Königs
[Proömium, Kapitel I § 1, 15; II § 1-4]

Sane cum ex officio, quo cesarea dignitate potimur, futuris divisionum et dissensionum periculis inter electores ipsos, de quorum numero ut rex Boemie esse dinoscimur, ratione duplici, tam ex imperio quam electionis iure quo fungimur, occurrere teneamur, infrascriptas leges ad unitatem inter electores fovendam et electionem unanimem inducendam ac detestande divisioni predictæ variisque periculis ex ea sequentibus aditum precludendum [...?] matura deliberatione previa de imperialis potestatis plenitudine edidimus, statuimus et duximus sancciendas [...?].

[1] *Decernimus et presenti edicto imperiali perpetuo valituro sancimus ex certa scientia et de imperialis plenitudine potestatis, ut, quotienscumque et quandocumque futuris temporibus necessitas sive casus electionis regis Romanorum in imperatorum promovendi emergerit, et*

71) Der letzte Satz könnte der Vorlage eventuell nicht angehört haben.